

quod media labitur planicie, hostes procul conspecti sunt: 1097  
 ii ab Antiocheno Rege erant missi, ut præsidio iis essent,  
 qui ex montanis locis commeatum in urbem convehebant.  
 Levis armatura in hostem missa, primo impetu fundit fu-  
 gatque: fugientes viator miles partim obtruncat, partim  
 trepidos in urbem compellit. Magna vis jumentorum, in-  
 gensque commeatus copia eo die parta: quæ omnia, ut  
 maxime necessaria, ita gratissima victoribus fuere. Ad flu-  
 men deinde Antiochia proximum ventum est, quod ab  
 accolis *Farfar* nominari ajunt. Nos vero non ignoramus,  
 Orontem Antiochiam alluere. Sed non solum fluminis no-  
 men in dubium venit, verum de qua etiam Antiochia hæc  
 recentes auctores scribant, vix intelligi posset, nisi urbis  
 celeritas ea esset, quæ nos in tantis novorum scriptorum  
 tenebris errare non fineret.

Nam & in Pamphilia Antiochia est, Seleuciæ vicina:  
 & alia nobilior in Phœnicia, a Seleuco Nicanore Antiochi  
 filio condita, olim Epidaphnæis cognominata, quam Oron-  
 tes amnis dirimit. Huc igitur, quum Boemundus, Hu-  
 go, & alii ducerent copias, ex captivis hostibus cogni-  
 tum est, in ea urbe Cassianum regnare, qui Babylonii Re-  
 gis esset tributarius: atque idcirco ab eo multa hominum  
 millia Antiochiam ad præsidium missa, qui adeo spectatæ  
 virtutis esse crederentur, ut non modo non bello tentandi  
 essent, sed ne acie quidem, si ultro arma inferant, expe-  
 ctandi. Ad ea verba non solum non territi sunt ductores,  
 sed postridie sub ortum solis motis signis Boemundus cum  
 quinque legionibus ad urbem progressus, hostes acie sub  
 mœnibus structos ferocissime est adortus: sed murorum alia-  
 rumque munitionum vicinitas, quæ facilem laborantibus  
 receptum præbuit, effecit ne totis utrinque viribus sit con-  
 cursum. Pugna idcirco magis tumultuaria, & per alterius  
 partis occasionem, quam stataria fuit: sed quamvis levis,  
 ad vesperam tamen distracta est. Inclinante itaque die Boe-  
 mundus ad suos se recepit; flumen quod inter urbem &  
 castra pari prope spacio erat, ponte continuo junxere: ca-  
 stra ipsa ita disposita sunt, ut undique urbs obsidione cin-

gere-

*Varia præ-  
lia circa  
eam.*